

quantum amor essentialis est, non in quantum notionalis, et spirativus, seu per modum impulsus: ergo non probatur hanc rationem nexus, et mutuae conjunctionis esse ratione Personarum, quia istae solum requiruntur ad amorem notionalem, non ad essentialem.

VIII. Ad primam instantiam respondetur non esse idem esse nexum duorum, et procedere a duobus, licet hoc secundum requiratur ad illud primum, sed non e contra: stat enim bene quod duo habeant amorem, et si in utrisque fuerit eadem voluntas, habeant eundem actum amoris, et tamen non sequatur ex hoc quod habeant amorem ad invicem, sed unusquisque amet seipsum non ad invicem unus alium: ergo probare quod amor Spiritus sanctus procedit per se a duobus, quia per se, et ex specie sua est unitivus, et nexus duorum, non est probare idem per idem, nec petere principium, sed procedere sicut ab inferiori ad superius, sicut cum probatur hoc esse animal, quia est homo, sic probatur amorem esse a duobus, quia est unitivus, et mutuus, nexusque duorum, et non sunt duo amores: ergo duae Personae amantes. Quare cum amorem procedere a duobus possit intelligi dupliciter, videlicet mutuo et non mutuo, reciproce, seu amicabiliter et non reciproce, seu non ad invicem, sed unusquisque se amando, non est idem formaliter amorem esse mutuum, seu unitivum, et procedere a duobus; et sic potest probari quod sit a duobus, quia est unitivus procedendo ab inferiori ad superius. Et secundo, potest amor esse mutuus dupliciter, uno modo, quia est duplex amor, et sic mutuus, et reciprocus, et amicabilis ex parte actus sicut est in nobis; et sic non probatur quod procedat ex duobus idem amor, sed quilibet secundum se pro-

cedat ex suo operante. Alio modo amor est mutuus, et amicabilis sine multiplicatione actus, sed idem omnino existens, et ab eadem voluntate procedens, et talis amor non potest esse mutuus, et unitivus, nisi ratione Personarum, et procedendo a duobus suppositis, quia reciprocatio, et amicabilitas non est ex parte actuum, sed Personarum. Unde non est idem esse amorem unitivum, seu nexum duorum, et procedere a duobus, neque D. Thomas infert procedere a duobus Spiritum sanctum ex eo præcise quia amor ille unitivus est, sed supponendo quod est amor unus ex parte actus, et tamen mutuus, et amicabilis seu unitivus, infert quod talis amor non obstante quod est unus, debet procedere a duobus suppositis quia unitivus, et amicabilis est, et solum potest hoc esse ratione plurium suppositorum, non plurium actuum.

IX. Ad secundam instantiam dicitur, quod ille amor mutuus, et amicabilis non salvatur sufficienter per hoc quod versetur solum inter Personam spirantem (etiam si esset una tantum) et ipsum Spiritum sanctum procedentem ut terminum spirationis; sed requiritur quod ex parte principii procedentis duplex Persona sit mutuo inter se communicans, et amicabiliter spirans.

Cujus ratio est, quia Persona procedens solum se habet ut terminus amoris notionalis, seu ut communicans cum aliis Personis terminative solum, non active in genere notionali: nec enim Spiritus sanctus aliquid communicat notionaliter aliis Personis,tribuendo eis aut producendo, neque per se solum, neque simul cum alia Persona, sicut Filius communicat cum Patre in spirando, et communicando inter se productionem Spiritus sancti, et Pater communicat Filio tribuendo ei per generationem naturam, et vim

spirativam. Si ergo Spiritus sanctus notionaliter non communicat aliquid Patri et Filio, sed tantum terminative, accipit ab ipsis, non est inter ipsum, et suum principium mutuus, et reciprocus amor notionalis active communicativus, sed solum ex una parte communicatio notionalis est erga Spiritum sanctum, non autem ex parte Spiritus sancti erga Patrem et Filium, quia nihil a Spiritu sancto notionaliter procedit, sed solum terminat omnes processiones ad intra. Unde in casu argumenti ex vi suae originis, seu productionis ille amor non esset amicitiae, sed solum post terminationem ad Spiritum sanctum resultabit amor amicitiae inter Spiritum sanctum et alias Personas, et hoc non in tota sua latitudine, et exigentia amicitiae, scilicet cum redamatio ne et communicatione mutua activa, et notionali, et secundum eandem rationem, seu æquiparantiam, sed ex parte unius extremi dando, et communicando, ex parte alterius tantum recipiendo, seu terminando communicationem. Unde ut salvetur amicitiae amor in Deo, etiam quoad hanc extensionem, et modum amicitiae, qui est eum mutua redamatio ne, et communicatione activa, oportet quod non solum ponatur amicitia inter Personam producentem et productam, spirantem et spiratam, quasi inter principium et terminum, sed etiam ex vi ipsius originis detur in ipso principio spirativo duplex Persona, inter quas sit communicatio ad invicem mutua, et reciproca; et sic in ipsamet originatione, et ex vi principii, et originis producentis procedat Spiritus sanctus ex amore amicabili, non autem solum conveniat illi amori esse amicitiam per quamdam consecutionem, et sequelam, scilicet postquam terminus est positus, non prout originatur.

X. Et si dicas: Nam etiam Filius nihil communicat, aut dat Patri, sed solum ab eo per æternam generationem accipit: ergo adhuc non salvamus mutuam communicationem notionalem in ipso principio originante Spiritum sanctum; et sic non evitamus inconveniens, respondetur quod Filius nihil communicat Patri quoad suam Personam, sed communicat aliquid Patri quoad suum exercitium spirandi Spiritum sanctum quia Pater non potest spirare Spiritum sanctum sine Filio, cum virtus spirativa sit in utraque Persona; et sic aliquid communicat Patri, quia exhibet ei id sine quo spirare non potest, scilicet Personam suam ut spirantem, sine qua Pater non producit Spiritum sanctum.

XI. Ad tertiam instantiam respondetur, quod amor ut essentialis non est nexus plurium, nec mutuus, et amicabilis erga ipsum Deum, sed prout notionalis, qui supponit distinctas Personas inter quas nexus, et communicatio sit. Unde et in Scriptura Spiritus sanctus vocatur communicatio, II ad Corinth. XIII: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus, etc.* Nam ratio ista nexus, et communicationis mutuae si realis est, exigit distinctionem aliquam inter extrema, et hæc distinctio non potest esse nisi inter actus ipsos, quibus fit communicatio, vel inter Personas: in amore essentiali neutra distinctio datur, quia in essentialibus nondum intelliguntur Personae distinctae, actus autem ipse dividi, et multiplicari non potest: oportet ergo quod solum inveniatur in amore notionali, in quo etsi actus non dividitur, tamen Personae multiplicantur, et ratione earum mutua illa communicatio, et reciprocus amicitiae nexus est.

XII. Nec denique obstat, quod

etiãsi non sit amor amicitiae in Deo, adhuc perfectio amoris in Deo est: sufficit enim amor Dei ad seipsum ut perfectissimus sit.

Respondetur enim quod licet ille amor perfectus sit, quo Deus seipsum diligit absolute ex parte rei amatae, et sine explicita ratione amicitiae, tamen etiam amor amicitiae ex ipso modo amandi perfectus est, imo perfectissimus, et maxime proprius naturae intellectualis, cum amicitia non inveniatur in brutis: ergo non debet ista perfectio deesse Deo, licet alia etiam non excludatur. Et sic maxime debet exerceri in amore notionali, qui est inter Personas distinctas, atque adeo Spiritus sanctus debet procedere ex illo; sicut in intellectu, licet dari debeat scientia et providentia, et sapientia non debet deesse processioni Verbi divini quod procedat per actum sapientiae, quia ipse est sapientia genita. Sic Spiritus sanctus debet procedere per amorem amicitiae, qui perfectissimus est, licet etiam sit in Deo amor absolutus ad se, qui etiam perfectissimus est in suo ordine, et linea. Nec solum concomitanter invenitur ille amor amicitiae in ista processione, quia amorem esse amicitiam est intrinseca perfectio, cum sit differentia essentialis dividens amorem: ergo si invenitur in Deo, tamquam formalis, et intrinseca differentia, et non ut aliquid pure concomitans invenitur.

XIII. Objicies pro sententia Scoti: In Patre solo est perfectissima, et completissima virtus spirativa: ergo per se, et ex formali ratione talis processione non exigit duo supposita. Consequentia patet, nam ubicumque invenitur integra, et perfecta virtus ad agendum potest operari: ergo si in solo Patre invenitur perfecta, et completa virtus spirativa, in solo Patre poterit operari,

quantum est ex formali ratione virtutis, et quarto modo per se, licet in re, et concomitanter duo supposita exigit, quia sic inveniuntur in re, et voluntas spirativa est in illis de facto, non quia ex formali sua ratione id exigit. Antecedens vero probatur, quia virtus quae est in Patre ad spirandum non accipit aliquam perfectionem vel complementum ex eo quod sit in Filio, cum totum quod habet Filius, a Patre habeat: ergo prout in Patre solo completissima, et perfectissima est, imo et infinita; atque adeo si prout ibi est infinita, utique integra est, et completa ad spirandum.

Confirmatur, quia processio Spiritus sancti neque in quantum procedens ex cognitione notionali, neque in quantum amor mutuus exigit per se quarto modo quod procedat a duobus, neque in quantum illae duae Personae dant subsistentiam virtuti spirativae: ergo ex nullo capite id exigitur formaliter, et per se. Antecedens probatur, non ex eo quod notionalis est, quia ad hoc influit pluralitas Personarum, quia etsi per impossibile Pater intelligendo non produceret Verbum, et per voluntatem spiraret Spiritum sanctum, ille amor esset notionalis, nec tamen procederet a duabus Personis. Non ex eo quod amor sit mutuum est denominatio extrinseca in amore. Si enim ego diligo amicum, nihil reale ponitur in illo amore ex eo quod ab alio vicissim amatus sim, sed haec est extrinseca denominatio: ergo ille amor quo diligo amicum, idem remanet intrinsece, etiamsi non esse redamatus; similiter ergo amor quo spiratur a Patre Spiritus sanctus idem intrinsece remaneret, etiamsi mutuo non procederet a Filio: non ergo per se in quarto modo requiritur quod procedat a duobus. Denique, ex eo quod natura divina reddatur subsis-

tens illa duplici Persona Patris, et Filii, non sequitur quod per se utraque Persona requiratur, sed materialiter, et concomitanter, sicut pro creatione, et productione creaturarum invenitur natura divina subsistens in tribus Personis, et tamen non per se formaliter requiruntur tres Personae ad creandum, quia creaturae procedunt a Deo in quantum unus.

XIV. Respondetur quod esse in aliquo supposito integram, et totalem, et completam virtutem ad operandum stat dupliciter. Uno modo integram virtutem, et completam totalitate virtutis quoad activitatem, et vim operandi: alio modo totalitate non solum virtutis, sed etiam conditionis requisitae, ut talis virtus operetur; sicut licet voluntas sit integra, et totalis virtus elicitive amoris quantum ad vim productivam, non tamen habet conditionem per se requisitam, scilicet cognitionem objecti sine intellectu, et tamen intellectus non dat virtutem voluntati eliciendi amorem, sed conditionem sine qua non eliciet. Et potentia visiva in ratione virtutis est tota, et completa vis elicitive visionis, ut tamen sine objecto, et medio illustrato non potest videre. Sic ergo tota vis spirativa in Patre est perfecta, et completa quantum ad vim, et activitatem spirandi, ut probat argumentum, quia eadem numero, et non major, neque auctior redditur ex eo quod est in Filio; sed quantum ad conditionem, et modificationem quamdam, quae requiritur ut amor ille spiretur tamquam amor mutuus duorum, et a conceptione notionali dependens, quae est Verbum, sic per se requirit duo supposita, nec invenitur complete, et totaliter in Patre, licet inveniatur tota, et completa virtus in ratione, et actualitate virtutis, sed non tota, et completa conditio ut spiratio pro-

cedat propter rationem dictam. Si autem petas, an haec conditio requiratur per se ad illum amorem, quia amor est, an quia divinus, dico quod non solum quia amor, nec solum quia divinus, sed quia divinus notionalis, et mutuus: ad has enim conditiones necessario exigitur quod virtus illa spirativa non sit in uno tantum supposito, sed in duobus, cum non sit mutuus ex duplicitate actus, sed ex pluralitate suppositorum, nec sit notionalis, nisi supponendo duas Personas secundum processionem intellectus, sed habentes eandem voluntatem, et sic in uno tantum supposito licet sit tota virtus spirandi, non tamen omni modo, et omni conditione requisita ad spirandum.

XV. Ad confirmationem respondetur processionem Spiritus sancti requirere duo supposita, tum quia notionalis, tum quia mutuus, et amicabile; nec rationes istae distungendae sunt, sed conjungendae, quia amor mutuus esse non potest, nisi notionalis sit: essentialis enim amor, nec ratione actuum, nec ratione Personarum distinctionem habet, ut mutuus, et amicabile esse possit. Et cum dicitur quod etiamsi procederet a solo Patre, adhuc notionalis esse posset, distingo; esset notionalis quoad distinctionem Personae procedentis, seu spiratae ab spirante, transeat; esset notionalis quantum ad rationem amoris mutui, et amicabile, nego, ut explicatum est. Quod vero additur, formalitatem mutui esse denominationem extrinsecam, respondetur quod amorem esse mutuum dupliciter consideratur. Uno modo respective inter ipsos actus; et sic unus in altero nihil reale ponit. Alio modo secundum quod unus est conditio praesupposita, et requisita ut alter eliciatur, eo quod amor amicitiae fundatur super com-

municatione honorum ad invicem, et ita amicus amat alium, quia alter se communicat mihi, et prima communicatio amor est, rursus ille alius amat amicum, quia vicissim amatur ab illo. Amor ergo in alio est conditio requisita in persona, ut amicabilem ametur. Et hoc modo mutuus amor ut conditio reciproca tenens se ex parte personarum ut amicabilem amentur, quia se communicant communicatione amoris, fundat realem, et intrinsecam perfectionem amoris, quatenus specificat persona sic se communicans, et amans amorem amicitiae, qui non ferretur in personam amicabilem, nisi supponeret in illo istam conditionem, scilicet quod esset amans, et se communicans, licet ille amor nihil in me ponat, nisi me esse amatum; est tamen conditio requisita, ut persona sic amans sit objectum amoris amicitiae qui est realis amor, et species intrinseca amoris. Non est autem inconveniens, quod realis actus, et amor ex parte objecti supponat aliquam conditionem, quæ sit denominatio extrinseca, vel negatio, imo multæ denominationes extrinsecæ, et entia ficta actibus veris, et realibus attinguntur. Specialiter vero in Deo in quo amor ille non est mutuus ex distinctione actuum, sed Personarum, in se vero unus, non consistit ratio mutui in denominatione extrinseca, sed in processione reali ejusdem amoris a duobus suppositis. Quod vero dicitur de duplici Persona requisita ad illam spirationem ut principium quod subsistens, jam diximus non propter hoc solum requiri, sicut ad creationem requiruntur tres Personæ, sed per se formaliter, ut ille amor mutuus, et notionalis sit, quod in creaturis non currit, quia solum procedunt a Deo ut artificiata ab artifice: tres autem Personæ unam potentiam, et artem

habent, nec ex aliqua formalitate processionis artificiati petunt concursum trium Personarum.

UNUS SPIRATOR EST PATER, ET FILIUS, NON UNA SUBSISTENTIA SPIRATIVA, NEC UNUM INDIVIDUUM SUBSISTENS, QUI SIT HIC SPIRATOR.

XVI. Supponendum est tamquam certum, Patrem et Filium non esse plura principia Spiritus sancti sed unicum principium, et unica spiratione ab illis procedere Spiritum sanctum, non solum quia actus spirandi, et virtus spirativa, seu principium quo est unum, sed etiam quia relatio spiratoris una est, et ita tam quoad relationem, quam quoad virtutem spiratio una est. Constat hoc ex definitionibus Concilii Lugdunensis sub Gregorio x, et Concilii Florentini sub Eugenio iv. Definitio Concilii Lugdunensis habetur in c. Fideli, de summa Trinitate, in vi, sub his verbis: «Fideli ac devota professione fatemur quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre, et Filio, non tamquam ex duobus principis, sed tamquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit.» Et infra: «Damnamus qui temerario ausu asserere præsumpserint quod Spiritus sanctus a Patre et Filio tamquam ex duobus principis, et non tamquam ex uno procedat.» Definitio vero Concilii Florentini in litteris unionis fere eodem tenore verborum habetur: «Definimus, quod Spiritus sanctus a Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque æternaliter tamquam ab uno principio, et unica spiratione procedit.»

XVII. Quare licet non defuerint aliqui auctores qui senserint in rigore posse concedi plura principia

Spiritus sancti propter plura supposita spirantia seu originantia Spiritum sanctum, tamen stantibus his definitionibus nullo modo potest concedi duplex principium, licet plures sint Personæ principiantes, et originantes Spiritum sanctum. Et consequenter dicendum est, quod cum nomina adjectiva multiplicentur in divinis, non autem substantiva, sicut dicuntur tres Personæ divinæ, licet non tres dii, dicuntur tres sapientiæ, justitiæ, et veritates, consequenter ex prædictis definitionibus deducitur hoc nomen principium, et spiratio esse substantiva, non adjectiva, quia plura principia Spiritus sancti nequaquam concedi possunt, sed ibi damnantur.

Quid autem nomine principii importetur, et nomine spirationis, ut videamus, in quo sunt unum, et in quo remanent plures illi qui spirant Spiritum sanctum cum plures Personæ requirantur etiam per se ad hanc processionem, dubitari potest. Cæterum in significatione hujus nominis, cum origo aliqua includatur, quia principium de se importat ordinem ad principiatum, seu ad id quod est, et procedit a principio, tria in ratione principii possunt designari, scilicet forma, seu virtus, quæ est principium quo; relatio, seu oppositio, et distinctio principii originantis a re procedente seu originata; subsistens seu principium quod originandi. Hæc enim omnia concurrunt in principio, seu origine alicujus rei. Sed tamen omnia ista importantur in nomine principii per modum cujusdam ordinis ad id quod est ex alio, quia principium secundum se, ut docet S. Thomas supra quæstione xxxiii, a. i, nihil aliud significat, quam id a quo aliquid procedit, et non dicit semper influentiam in rem principiatam, aut dependentiam, vel distantiam

aut inferioritatem rei principiatæ a suo principio, sed solum ordinem quemdam, sicut etiam punctum est principium lineæ, frons libri est principium libri, sine ulla influenza. Dicitur tamen principium tam ipsum agens quod, quam ipsa potentia, seu forma, quæ est principium quo, ut dicit S. Thomas infra q. xli, a. v ad 1, sed sub habitudine et ordine ad principiatum, et secundum quod ordo principii unus est, licet ea quæ concurrunt ad originem, et processionem in se plura sint, si tamen sub eodem ordine, et habitudine tendunt, et respiciunt principiatum, dicitur principium unum, quia sub illo ordine processio una est, et consequenter principium sub formalitate principii, et sub officio, et munere principandi unum est.

XVIII. Si ergo inquiratur, unde sumit unitatem hoc nomen principium in divinis, cum dicitur esse unum principium Spiritus sancti ex unitate virtutis, seu formæ qua producitur Spiritus sanctus, an ex unitate relationis qua respicitur; nam ex unita suppositi esse non potest, cum plura supposita ad ejus processionem concurrant, non solum tamquam conditio materialiter, et identice requisita, quia ex parte subsistendi reddunt Deum subsistentem, ut spiret utraque Persona Patris, et Filii, sed etiam est conditio formaliter requisita, et ex parte speciei ipsius amoris, ut mutuus, et amicabilem sit, ut dictum est, respondetur quod ut docet D. Thomas in hac quæstione xxxvi, art. iv, sicut Pater, et Filius sunt unus Deus propter unitatem formæ significatæ per hoc nomen Deus, ita sunt unum principium Spiritus sancti propter unitatem proprietatis significatæ in hoc nomine principium. Et solutione ad primum inquit quod: «Si attendatur virtus